





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-565521-p0001-0

DFG







1426

DISPVTATI<sup>O</sup> JVRIDICA

complectens.

25. 1

1654

Quæstioncs illustres & magis practicas ex di-  
uersis Iuris fontibus desumptas.

*Quam,*

D. O. M. F.

AVTHORITATE, CON-  
SENSV, ET APPROBATIONE AM-  
PLISSIMI IVRE-CONSULTORVM ORDI-  
nis in Orthodoxâ & peruetustâ Archiducali Uni-  
uersitate Friburgensi Brisgoiâ.

S V B P RÆ S I D I O,

NOBILIS CLARISSI-  
MI, AC CONSULTISSIMI VIRI DO-  
MINI JOANNIS GEORGII KIEFFER D. I.,  
V. SS. CANONVM PROFESSORIS,  
Primarij.

D E F E N D E T

LEOPOLDVS SCHLVDERPACHER  
Oenipontanus Tyrolensis I. V. C.


Mense Augusto à partu Virginis M. DC. LIV.

F R I B U R G I B R I S G O I A E.

Ex Typographiâ IOANNIS IACOBI BÖCKLERI.

N  
W







SERENISSIMO, POTENTISSIMO.  
QVE PRINCIPI AC DOMINO DNO

FERDINANDO CAROLO  
ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVN-  
DIAE, STIRIAE, CARTHINIAE, CARNIOLAE, ET WIRTE-  
bergiae: Comiti Tyrolis, & Goritiæ: Landgrauio Alsatiæ  
&c. Principi ac Domino suo Clementissimo:

**I**N Sacrae Themidis templum admissus, Serenissime Ar-  
chidux, in ipso statim limine peccarem contra Iustitiam,  
si frugum mearum primitias, hos, inquam, thesum me-  
arum manipulos in iuris prudentia agro collectos, alterius  
quam Serenissimæ Celsitudinis Vestram aræ Destina-  
rem. Nam si alta petit Iustitia, & cum symbolicâ pal-  
ma arbore excelsum verticem nubibus inferit, nullo vel  
ad partium studia, vel ad priuati lucelli questum retorto oculo; altius ego in  
patrys montibus nihil reperio, quam Serenissimæ Celsitudinis suæ sacrum  
nomen, quod supra nubes etiam elatum, cum ipso sole non tantum de natali-  
um altitudine, sed etiam de radij serenitate depugnat; & verò etiam splen-  
didè vincit. Itaque præteritis minoribus aris, nec nisi humili Myricâ onerari  
solitis, ad ipsam Serenissimam Celsitudinem vestram aspirare me iubet  
prudentior Religio. Neque credo sanè gratius quidquam futurum Iusti-  
tiae, quam si illam tantisper ad Serenissimam Celsitudinem vestram, id est,  
ad suum delicium, remittam: quippe in quantum suire reportit, ut dum in se-  
renissimi pectoris curiā residet facile sibi persuadeat, non se alieni domicilijs  
hospitem, sed inter domesticos quasi parietes, nataliq; calo incolam conuer-  
sari. Nam quid est in Serenissimâ Celsitudine vestrâ non aquâ Themis lan-  
ce libratum, expensumque agnoscit hic illagenium eâ familiâ deductum,  
que ruentem nunc orbem pietatis, & iustitiae legibus sustentat: adorat tam  
ad seria, quam ad remissionem capacem animum, nulloque prægravis affe-  
ctus pondere, stater & momentum inclinantem. Nec ipsa denique satis deci-

edit, animinē dotes, an verò natalium maiestas in Serenissimā suā Celsitudine præponderet? adeo Serenissima Celsitudo sua se nouit, & proprie virtutis laudi, & Augustissimæ familiæ glorie ex æquo dispensare. Quamquam verò in illa virtutes omnes ad domiciliū constantis sedem equale ius sibi vendicent, nescio tamen, quantum ceteris eminere velit, illa tot laudibus mactata, & Austriacis verticibus iurata Benignitas, qua cum omnes amplectuntur, tum eos maximè, quorum obsequia adhibere familiarius dignantur; inter quos si & mihi aliquando meum nomen profiteri concessum fuerit, scio in quantæ id felicitatis partem sim repositurus atque hanc spem dum animis concipio, sentio quibus à Iustitia stimulis agiter iam nunc, me, meaque studia Serenissimæ Celsitudini Vestra ex integro consecrandi. Dignetur itaque Serenissima Celsitudo Vestra Principi manu tenue Iustitiae munus, quod quidem cum flore porrigo, utinam in eos fructus fœcundo, qui Serenissimæ Celsitudini Vestra merentur non displicere olim. Nunc cum intra vota dunt axat stent, precor, Deus ter Optimus Maximus Serenissimam Celsitudinem suam, mihi, communi patriæ, sibi denique, & Augustissimæ Domui Austriacæ Vniuersæ in columem diutissimè præstet. Friburgi Brisgoie. Mense 31. Augusti Anno M. DC. LIV.

Serenissimæ Celsitudinis Vestra

Deuotissimus Cliens

Leopoldus Schluderpacher I. V. C.



# IN IVS CANONICVM

## QVÆSTIO I.



Cclesiæ RomanoCatholicæ supremæ potestatis eminentiam, non suffragantibus Cardinalium calculis, sed ab ipso saluatore Christo, Summo Pontifici concessam esse; diuino, humanoque Iudicio manifestum est. cap. vn. Extravag. com. de Consuetud. in pri. text: express. cap. in nouo dist. 21. Vnde venerabile Cardinalium Collegium Pontificatū potestatem non tribuit, sed personam, quæ sumnum Christi Vicarium agat, eligit: eō quod jurisdictionem vniuersam in Ecclesiam non habeat. Clem. ne Romani de elec̄t: cap. vbi periculum. eod. in 6. consequenter plus Iuris in aliū conferrenon potest. cap. nuper 6. extr. de donat. inter Virum & uxorem. cap. nemo plus de R. I. in 6. l. 54. & l. 120. ff. eod.

II. Vtrūm S. Pontifex potestatem habeat ferendi leges in toto Orbe Christiano controuertitur? de terris Ecclesiæ, ratione jurisdictionis Ecclesiasticæ subiectis, res dubitatione caret. per text. in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ de constitut. cap. 7. de immunitat. Ecclesiast. quia, cùm S. Pontifex tanquam Pastor Vniuersalis gregis Christiani, supremam in Spiritualibus, & quæ bonum animæ reipiciunt, potestatem à Christo Domino; iuxta illud: pasce oves meas. in ipsos adeò Imperatores & Reges huius terræ acceperit. cap. per Venerabilem 13. extr. qui filij sint legitimi. cap. licet 10. de foro competenti. Clem. vn. de Iure iur. Clem. Pastorali 2. de sent. & re iud. censetur ei etiam concessum id, quo errantes oves ad viam compellere possit. Innocent. in cap. sollicitate de maioritat: & obed. ex quo fit S. Pontificem leges Ciuiiles, quæ bono animæ bonum temporale subinde præferunt, tollere & abrogare posse; ac de Iure aboleuisse in materia Præscriptionis cum malâ fide, & usurarum acceptione. cap. vigilanti & cap. fin. ext. de præscript. cap. consuluit ext. de usur. & cap. quanquam de usurris in 6.

III. Ex quo deducitur hæc quæstio. an S. Pontifex à Græcis ad Germanos

## DISPUTATIO

manos Romanum Imperium rediē transtulerit? affirmo: idque authoritate non sacerularis, sed vigore Ecclesiastice Iurisdictionis. Cū enī Ecclēsia vniuersalis oppugnaretur à varijs hostibus, potissimum verò Astolpho Rege Longobardorum, ac Græci Imperatores in varios errores & hæreses ruerent, ut sic Ecclēsia Romana eorum patrociniō & defensione (estenim Imperator perpetuus Ecclēsiae Patronus & Aduocatus. cap. venerabilem de elect: Clem. vn. de Iureiurando) destitueretur, translatio Romani Imperij à Leone 3. Pontifice Maximo facta ad Germanos iusta visa fuit Laym. in qu. st. Canon. q. 133. arg. cap. venerabilem de elect. & Clem. vn. de Iureiurando. etenim S. Pontifex pro salute Vniuersalis Ecclesiæ, vigore Iurisdictionis spiritualis facultatem ac Ius ab uno ad alterum transferendi Imperij fasces habet: idque multo magis S. Pontifex potuit, si accessit, ut volunt aliqui, Græcorum Imperatorum libera Renuntiatio, Imperij Occidentalis, & Populi Romani Contensus. Anton. de Rosell. in tract. de pot. Papa & Imper. in Princip. Lupoldus de Bamberg. tract. de Iurib. Imperat: c. 2.

IV. Maioris quæstionis est: an hæc potestis ferendi leges in toto Orbe extendat se ad temporalem Iurisdictionem? minimè, quæ temporalem: quia hoc esset extra suam Iurisdictionem Ius dicere. Potestas enim Ecclesiastica à potestate sacerulari fuit discreta: illa SS. Pontificibus pro bono animæ, ista Imperatoriis pro bono communis Reipublicæ promouendo relata fuit, ita aut nullus alterum in suâ perturbare Iurisdictione debeat per text. opt. in cap. cum ad verum. cap. Constantinus dist. 96. cap. nouit de Iudic: Molin: tract. 2. disp. 29. hinc hisce suppositis, regula Iuris succedit. quod nemovltra suam Iurisdictionem Ius dicere debeat. l. extra fin. ff. de Iurisdict. ideo, quia limitata causa limitatum producit effectum. in l. pacta nouissima C. de Pactis. l. cùm proponas 17. C. de Transactiōn. Molin. dicit loco.

V. Sed an S. Pontifex antecessoris legibus obligetur? Par in parem non habet Imperium. l. 4 ff. de recept. arbitr. Præterquam quod Princeps potestatem rogandi abrogandi que Iuris habens legibus quibusdam non obligetur. l. Princeps ff. de legibus quamvis legibus viuat. cap. innuit de elect. verum, quia magnum inde scandalum & perturbatio subinde nasceretur, inde regulariter S. Pontifex leges Antecessoris (idem in Imperatore Iudiciorum esto.) obseruare & sine causa ab ijs se eximere non debet. l. et si nihil. ff. de R. l.

VI. In-

## I V R I D I C A.

VI. Instituto hærede vniuersali etiam extraneo, filio duntaxat legitimâ suâ relictâ; ad quem Ius Patronatûs transeat, grauis inter D.D. est Controuersia? quamuis opinio contraria non sit improbabilis, nihilominus tamen ego non filio, sed hæredi patrocinabor: licet enim legitima sit Ius quoddam vniuersale, non tamen est vniuersitas (cui Ius Patronatûs accedit) sed vniuersitatis pars. l. 8. §. 9. ff. de inoff. testam. & l. 2. §. Si quarta. ff. fam. Erciscund. Couarr. var. resolut. lib: 2 c. 18. n. 7. & 9. Panorm. ad cap. 1. n. 2. de Iure Patronatûs. Henricus Canis. Comment: ad lib. 3. Decre- tal. de Iure Patronatus. tit. 37. n. 5.

VII. Vtrum Ius Patronatûs à Laicis contra Ecclesiam vi Præscriptio- nis, præscribi possit? nullâ ab ipsis præscriptione ex Iure præscriptionis etiam immemorialis acquiri posse, concludo. Ratio est, quia, cùm Ius Patronatûs spiritualibus annexum, & quasi spirituale sit. cap. quando. 3. de Iud. cap. præterea 9. de Transaction. Laici sunt incapaces illud possidendi aliter, quâm ex priuilegio sedis Apostolicæ, aut Iuris communis titulô constructionis &c. talis Ecclesiæ cap. Sacrosancta de Elect. verùm nulla omnino præscriptio sine possessione, in vim sive Iure præscriptionis procedere potest. cap. sine possessione de R. I. in 6. cap. causam 7. de Præscript. esto ex tempore immemoriali iure præsumpti tituli, acquiri possit, cap. 24. de Elect. Concil. Trid. sess. 25. c. 9. in Decreto. quia tempus, cuius initium ignoratur, priuilegij munus sustinet, & vim tituli præsumpti habet. cap. 1. de Præscriptionibus in 6. cap. super quibusdam de V. S. l. hoc Iure §. ductus &que ff. de aquâ quotid. & aestiuâ. Verumtamen verisimile est, cùm nemo tot annorum interuallô tali quæstionem mouerit, eum iustum quoque initij ratione habuisse; quo sensu Reges Hispaniarum censendi sunt præ- scripti, Ius eligendi, ac nominandi Rectores, & Episcopos Cathedralium, & collegiarum Ecclesiarum in Hispanijs, cæterisque Prouincijs, illis annexis. Molin. tr. 2. disp. 75. n. 7. & 8. Couarr. cap. possessor. 2. parte; §. 10. num. 5.

VIII. An immunitas ab Imperatore domibus priuatis, & alijs qui- buscumque Iurisdictioni suæ subiectis locis dari possit? & probatur mihi affirmativa sententia. Ratio est, cùm enim talia priuilegia sint Iuris positiui, neque ius aliquod ijs repugnet, nihil obstare videtur, quin conces- siveant. Farina in pract. crimin lib. 1. q. 28.

IX. Hinc queritur, an debitor aliquis, ære alieno grauatus, ad tam se locum recipiens immunitate gaudet Ecclesiasticâ, quo minus in- de ex-

## DISPUTATIO

de extrahi valeat? Respondeo cum communi DD. sententiâ affirmatiuâ, nullibi enim talis debitor obseratus exceptus reperitur: proindeque regulæ, qua omnis gaudet immunitate, qui non prohibetur, insistendum est. Couar. var. resolut. lib. 2. c. 20. n. 14. neque referre existimo, num debitum sit publicum, an priuatum, quaniuis enim Iustin: in §. publicorum No. uell. 17. de mandat. Principum, quoad eos, qui tributis publicis obnoxij sunt, videatur contrarium statuere; quia tamen huius Constitutionis decisio non est petenda ex Iure Ciuli, sed ex Iure Canonico, hinc est quod recte DD. inter debita priuata & publica, quæ alij fiscalia appellant, nullam differentiam constituerint. Neque distinctio facienda est inter debitores simpliciter & decoctores quos vulgo fallitos mercatores, seu Bancrotos appellant. Licet enim in Constitutionibus Imperij Politicis passim furibus æquiparentur. Quin imò in Constitutione Pij V.S. Pontificis 112. Romæ Anno 1570 promulgatâ latronibus censeantur esse nequiores, eò quod non fortuitis casibus aut temporum iniuriâ depauperati, sed luxu ac dilapidatione rerum suarum omnes creditores miserrime fallant, nihilominus tamen S. Pontifex eos SS. Canonum auxiliò non priuat, sed solum statuit, quod tanquam fures & latrones afficiendi sint ultimò suppicio. Couar. dict. loc. 6.


X. Celebris apud Canonistas controvërsia vertitur, an contrahentes sponsalia possint adiçere poenam v. g. pecuniariam, sub qua se obligent ad implenda sponsalia, ita ut per quem steterit, quo minus nuptiæ sequantur, conuentam poenam incurrat? status autem Controvërsiae est de iniustè resilientibus (iustè enim resilientem non teneri DD. conueniunt) Veram existimo illorum sententiam, qui ad poenæ solutionem iniustè resilientem obligant. Quippe Canones in tantum fauet libertati matrimonij, in quantum hæc libertas constare potest saluâ conscientiâ. quod si in conscientiâ promissioni satisfaciendum, Canones tanquam salutem animæ pro obiecto habentes nullo modo prohibent, qui per poenam possit adigi ad standum promissis, vt pote cum ad hæc seruanda etiam grauioribus poenis, puta Excommunicatione, censuris compelli queat. Laym. de sponsal. c. 1. n. 8. Dian. part. 3. tr. 4. resolut. 211. at iniuste resiliens tenetur in Conscientiâ ad seruanda promissa regulariter, consequenter non fauet ipsius libertati Ius Canonum.

XI. Expriori resoluitur hæc quæstio: ytrum pactum lucratium, contractui sponsaliorum à tertio appositum, sit validum v. g. promitto

100,51

## IVR IDICA.

100. si Caionupseris? negatiua placet sententia, per id enim libertas matrimonij non imminuitur, cum non agatur de pœnâ damni, cuius metu aliquis ad contrahendum induci possit ( ut communiter DD. dicunt ) sed solùm de non acquirendo , per quod aliquis ad matrimonium allicitur.  
l. Titio §. 1. ff. de Condit. & demonst. Laym. de sponsalib. c; 1:n.9.



## IN IUS PUBLICVM.

### XII.



Væritur an concessione Generali Regalium veniant reseruata Cæsarea? Respondeo negatiè, quia priuilegia Imperialia sub tacitâ conditione dari videntur, vt tamen Reseruatis Cæsareis nulla inde fiat diminutio, ohne schmählerung der Konferlichen hochheit vnd Reseruaten Recessus Imperij de Anno 1576. §.

dardurch dann. Sixtin. de Regalib. lib. 1. c. 5 n. 122 sunt autem reseruata hæc , vt plurimum leges vniuersales Imperiali authoritate promulgare l. humanum Cod. de Legibus. noua vectigalia erigere Recess. Imp. de anno 1576. §. dardurch dann. vel alijs eandem erigendi licentiam concedere Recess. Imp. de anno 1530. §. Wiewoll auch der Abscheid / Reges & principes creare Aurea Bulla tit. 5. Bannum Imperiale decernere , priuilegijs & dignitatibus Imperialibus priuare. Recess. Imp. de anno 1542. §. wurde sich aber / Ordin. Cam. part. 2. tit. 18. §. So auch in fine Gail. lib. 2. de pac. public. cap. 18.

XIII. Hinc exigit quæstio , an si Imperator aliquem in Principem Imperij suscipiat, territorialem superioritatem communicet, atque priuilegia , quæ statibus Imperij competunt, simul conferat ; Ius erigendi, vniuersitatem videatur concedere? in negatiuam abeo sententiam; quia Ius Academiam erigendi non adhæret Iuri territoriali, sed est de Reseruatis Cæsareis. Zaf. de feud. part. 5. n. 14. Vult. de feud. lib. 1. c. 5. n. 7. consequenter non mirum, quod in Instrumento Pacis §. præterea Cæsarea Maiestas Reginæ Sueciæ Ius erigendi Academiam, vel vniuersitatem, vbi quandoquæ ei commodum fuerit visum, specialiter permiserit; quarum institutionem & conseruationem perquam utilem , atque necessariam

B.

deno-

## DISPUTATIO

denotant de nouo partim ere stæ Salisburgi, partim de nouo dotatæ Ampliissimis salarijs Haidelbergæ, atque priuilegijs honoratæ Vniuersitatis, sine quibus nulla vñquam florebit Academia, Professoribus ut potè, & consequenter studio lis destituta, vel destituenda, secundum illum.

*Pauperies me dura premit, sænique labores,  
Atque arcere hyemem, vix toga /arta potest.  
Darogo consilium, votorum inspecto Apollo,  
Nam te dulce sequi, sed mihi egere graue.*

Quæ serenissimus Archidux, Potentissimus Patronus harum Thesum, singulari ac Paternâ Curâ considerauit, Dum Rectori & Regentibus Alme Vniuersitatis Fributgi Brisgoiorum, conseruationem illius cordi sibi futuram clementissimè rescripsit, eleganter de hac re videantur Rulman en 2. Plaidoyer pag. mihi 227. & Giovan Balt. pigna lib. 5. dell' historie de Prencipi d' Este.

XIV. Pulchra quæstio se præsentat, an domus Austriaca in territorij subiectis obligata sit alias Religiones, præter Catholicam Apostolicco-Romanam, pati? in negatiuam inclino; quia alij Principes, tanquam status Imperij vi transactionis Passauiensis, & Recess. Imperij de Anno 1555. Augustæ habiti. Daræqen scilicet Ius reformationis sibi arrogant. Inter Principes autem Imperij tanquam status referuntur quoque Archiduces, vt constat ex Priuilegio Friderici II. Imperatoris Friderico Archiduci de Anno 1245. Veronæ dato Lymnaeus de Iure Publ. tract. 2. lib. 5. cap. 1. de domo Austriae, consequenter idem Ius ijs attribuendum, tanto magis, dum in quibusdam maioribus gaudent priuilegijs, quam ipsi adeò Electores, nemum cæteri Principes Imperij, dum in diebus Imperialibus comparere, atque Recessibus Imperij non tenentur, eorum statuta reuocationi Cæsareæ non subiacent neque ab eorum intentijs ad Imperiale Cameram appellari, vel supplicari, imò nec eorum subditj ad extranea Indicia trahi valeant; traceo, quod noua vestigalia erigere, in suo distitu Comites, Barones, Nobiles, Doctores Iurium, Medicinæ, Magistros, Notarios creare possint, subsidia Imperio præstare non adstringantur, exceptis 12. viris armatis in Hungariâ, per vnicum mensem sub expensis proprijs, in eius rei evidentiam, vt Principes Imperij agnoscantur. Plura priuilegia refert Lymnaeus dict. loc. eaqué omnia extendit ad ditio-

nem



## JURIDICA.

nem *Inspriga* re. cum *Gilm.* to. 2. *Syphor.* p. 1. vers. 8. n. 15. pag. 90. quem allegat, necnon ad Consistoria Schwaben/Burgau re. eò quod Caroli V. priuilegium loquatur. *Was sic* (id est Serenissimi Archiduces) aigen-thumbs Lehens oder pfandtschillings weß von dem Reich / oder sonst innen haben.

XV. Quærenti rationes tantorum priuilegiorum, facile erit respondere, si hæc omnia clementia (Domus enim Austriaca nullum Tyrannum vidit, ut attestatur *Hert. Kirchner.* in *momillerio* l. 2. c. 5. n. 83.) deuotioni atque pietati (naturâ ipsâ notante, si Felici Fabro *Histor. sueu. lib.* l. c. 9. credendum, non tantum, quod Comites de Habsburg ab vetero matris, crucem auream in dorso habeant, id est pilos candidos in modum Crucis protractos, sed etiam, quod de hac serenissimâ familiâ Masculi & Fæminæ, ferè omnes nascatur oblongiore & prominentiore mento, cuius forma vultum Principis grati quadam Maiestate decorat, intuitibus reuerentiam imperat) atque felicitati summæ (serenissima enim domus intra 15. annorum spaciū omnibus in orbe Christiano Regnis vel Reges vel Reginas, exceptâ Scotiâ, dedit. *Ens lib. 1. thes. polit. apotelesm.* 6. p. 147. accedit quod Caroli V. fortuna Turcam Imperatori semper suspecta visa fuerit, Imperio vero Romano tam grata, ut Imperium non nisi majoribus votis in Collegio Electorali domui huic Augustissimæ, atque fortissimæ huc usque, nulliverò alteri familiæ, quantumuis Illustri cum summo fructu deferre voluerit) & tandem huius Augustissimæ Domus meritis adscribanrur ut priuilegium Caroli V. anno 1530. 8. septem. Augustæ attestatur hisce formulis: Das für sollich lob Kaiserlichen gnaden vnd Freyheiten welche dann unsere Vorältern die durchleuchtigen Fürsten vnd das loblich haß Österreich vnd von allen Kaisern vnd Königen durch ihr bluetvergiessung / schwere darlegung vnd arbeiten in der heyligen Christenheit vnd des Reichs diensten erworben vnd kostbarlich verdient vnd erobert haben / durch solche dienst vnd Treuerder beständigkeit/sie auch vorhinerhöchet/ vnd zu dem heyligen Reichsforen seyn/ vnd das manche vnd lange Jahr vestiglich vnd loblich verweisen/ vnd regiert haben/ nicht vergessen. ex quibus constat, huiusmodi priuilegia non simplicia, sed ob causam adeoque remuneratoria esse, consequenter ab Imperatoribus Romanis sine iustissimâ causâ tolli non possunt, *sancarell. Var. resol. quest. 17. n. 1. Tambur. to. 1. de Iure Abb. d. 16. quest. 12. num. 9.*

B. 2.

XVI:

## DISPUTATIO

XVI. Dabitare quis posset, an Magistri militum Melitensium & Teutonicorum, si status Imperij, simulque gaudeant Iure superioritatis? Antequam Respondeam, taciendum, quod ut quis status Imperij sit, & territorialem superioritatem simul coniequatur, requiratur ut tolum Imperatorem pro suo superiore immediate cognoscat, & Cæsaris, communique Procerum consensu in Album, sive Matricem Imperij receptus sit, eâ lege, ut Imperio, occurrente necessitate certum censum, in albo sive Matriculâ expressum, pensaret, vel subdium militare præstet. Gail. 2. obs. 21. n. 2. Matth. Steph. lib. 2. p. 11. c. 4. n. 29. & seq. & præterea bona immediate Imperio subiecta possideat, Recess. Imp: de Anno 1548. §. wie wiwil auch ibi: in Anschung das solliche Graffen vnd Herrn nicht immediate Glider vnd Stände des Henligen Röm. Reichs/ & mox: welche dem Reich immediate nicht / sondern andern Ihren Landtsfürsten vnderworffen/ auch nicht Güter ohne Mittel von vnd vnder dem Reich hetten. Gail. de Arrestis. cap. 6. Knichen de Iure territorial. c. 1. n. 106. Hinc saepius eu. nit, quod unus & idem pro diuersitate bonorum, quæ possidet, ratione quorundam vt mediatus ratione aliorum vt immediatus, censeri possit, prout habet, Const: Recess. Anno 1548. §. auch der Gräffen von Tübingen ibi: daß sie als Gräffen des Reichs ihrer Güter halber/ so sie ohne Matell im Reich haben / gleichwohl in des Reichs Anschlag gezogen werden mögen / aber der Pfandschaften/ auch eignen oder Lehenaueiter halber/ so sie von seiner Liebien vnd in derselben Oesterreichischen Erbländern haben/ vom Reich billich unbelagt bleiben sollen. Ratio est: quia in dubio illa persona, q. i.e. in alterius territorio habitat, & bona quæ in eo sita sunt, domino illius territorij præsumuntur subiecta , donec Exemptionem contradicitor probet Gail. 2. obs. 62. n. 9. Wehner pract. obs. Verbo. Landtsfürst. Obriquet/ quod tanto minus præsumi potest, vbi vocatus ad comitia prouincialia comparuit, eaque præstitit, quæ alij subditi in album subditorum relati præsterunt. Gail. de Arrest. c. 7. n. 14. generale enim est, quod obedientia præstigi inducat possessionem subiectonis & Iurisdictionis. Meichner to. 3 lib. 2. decad. 6. n. 52. quibus ita præmissis dico cum Magistri militi Melitensi & Teutoni: inter status Imperij recenseantur ut notatur ex subscriptionibus recessuum Anno 1512. Anno 1521. Anno 1524. Anno 1526. An. 1532. An. 1543. casu quo bona in Imperio immediate sita habent, Iure superioritatis territorialis gaudere, de cætero pro contrariâ opinione starom ex d. R. de Anno 1548. wie wiwil anch.

XVII.

## IVRIDICA.

XVII. Quæritur vterius, an bona illa Ecclesiastica, quæ Acatholice Religionis affectatores vi Tractatus Passauensis ab Imperio Romano habent, subiaceant liberæ detinentium dispositioni? in negatiuam inclino, ac iudico ea in pias causas, tinge pauperes, atque hospitalia, reparationem Ecclesiarum, dotationem filiarum esse impendenda, quia quod semel Deo dicatum est, in prophanos usus converti non debet. *I. si quis §. Cod. de Epis. & Cler. res enim Ecclesiarum sunt Christi patrimonium, cap. cùm ex eo de El. ct. vt expreisè disponunt Recess: Imp: de Anno 1555. Augustæ Vindelicorum. §. als auch den Ständen/rc. sciant proinde summum esse peccatum, qui contra intentionem fundatorum res Ecclesiae in illicitos usus conuertunt, lusu, luxuriâ, libidine & omnis generis voluptatibus consumunt.*

XVIII. Non minùs dubitatur, an si quispiam de Lutheranismo ad nostram Religionem transeat, à Principe territorij puniri, vnd rimb den Frevel angelangt werden möge? In negatiuam propendo, quia Religionis libertas in Imperio permissa est, in tantum, vt, qui ad Religionem Romano Catholicam transire cupit, neque in personâ, neque in bonis in foro externo perturbari possit vel debeat, quod autem quis lure permittente facit, non meretur poenam. *Recess: Imp: Anno 1555. Augustæ Vindelicorum. §. dagegen sollen iuncto §. Wo aber*

XIX. Vterius quæstio monetur, ad conuersus an nostram Religionem Apostolico-Romanam dom'no territorij den Abzu i zugeben schuldia sen? Distinguo: si in territorio consuetudo ferat, quod si quis de loco migret, obligatus sit pati Ius detractionis, tum dico teneri huic consuetudini satisfacere, si vero moris non sit, resoluo ex capite Religionis mutatae, dasi der Abzug nicht forne gefordert werden/ quia omne grauamen ex causâ Religionis prohibitum est imponere Recess: Imp. Anno 1555. §. wo über Berlich. p. 2. practic. conclus: 41. Gylm. tract. 1. Symp. part. 1. t. 3. vers 1.

XX. Hinc vterius dubitatur, an si quis subditorum in terris Austriae Religionem desereret, & contraria susciperet, Princeps territorij obligatus sit eum pati, casu quo sine scandalo hî habitare vellent? Respondeo quod non, quia Ius migrandi in liberâ voluntate huius subditi non consistit, si aliud Principi territorij placeat, ita tamen ut liberum huic sit aut retentis bonis aut alienandis discedere, retentâ per ministros administratione. *Instrum. Pacis §. quod si vero subditus.*

## DISPUTATIO

XXI. Quæritur si casus eueniret, vt Præpositus alicuius Ecclesiæ apostataret, an Ecclesiæ suæ præposituram retineat? pronegatiuâ pugno, Vigore deß Geistlichen Vorbehalts Recess: Imp. Anno 1544. §. wie Churfürsten & §. vnd nach deme cum §. seq. & Anno 1555. §. vnd nach deme ic. reseruarunt enim sibi Catholici, quod in defectum apostatantis aliam personam doneam substituere possint, adeoque huic Iuri tamdiu inhærendum, quia naturali æquitati nihil magis conuenit, quam ea, quæ semel placuerunt, seruare. I. i. ff. de pactis hoc addito, huiusmodi apostatam infamem non fieri, d. §. vnd nach deme ibi: jedoch seinen Ehren ohnnachtheilic.

XXII. Quæritur, an, si Nobilis immediatus Imperij invxorem ducat plebeiam, proles nata pro Nobili habenda sit? affirmo. quia dignitatem & honorem patris liberi sequuntur. Bocerus de reg. cap. 2. n. 14. & seqq. l. cum legitimè 19. ff. de statu hom: c. 2. de infidel. quapropter filii nec matris insignia portant, quia in causâ Nobilitatis à potiori fit denominatio. Tiraquell. de Nobil. c. 18. n. 21. Quamuis non ignorem in nonnullis Galliæ locis receptum esse, vt venter nobilitet, vt in Campaniâ. Camill. de Curt: p. 1. diuers. Iur: feud. §. sed vnde digressi n. 26. & apud Calecutios Indiae populos. Bod. lib. 1. derep: c. 3. circa finem. non tamen denego, quin Nobilitas eò illustrior sit, si ex parte quoque matris accedat. Tiraquell. d. c. 18. n. 26. & seqq. atque hac ratione moribus Germaniæ usurpatum est, vt quatuor, seu octo, vel etiam sedecim generationes Nobilium ex utroque latere sine defectu probandæ sint, vt fieri solent. auff den Hohen Stifften in Germaniâ; sin Hispaniâ quoque in usu est, quod nullus fortalitium commendare possit, nisi sit Nobilis ex utroque parente. In Silesia Ius & Iudicium equestre requirit, daß ein Edelmann vier schiltig/vnd von vier Vatter vnd Mütterlichen offnen Helm geboren seye P. Friz de nobil: conclus. 20. litt. A. sic etiam, nisi quis nobilitatem suam ex quatuor suis paternis & maternis probare possit, ad Iudos Equestris, torneamenta, accedere nequit. Münster in Cosmographia lib. 3. c. 449. in quorum locum reuocata sunt hastiludia seu exercitia, quibus Principes & Nobiles zum frey rennen ad hastam vibrandam, vel ad annuli immisionem zum Ringel rennen vel zum Crönel stechen/ vel ad fidi hominis & umbratilis pugnam instituuntur. sic quoque hic Friburgi domum prope templum summum Nobilium sapius vidi, in quam non nisi Nobiles certas Nobilitatis Generationes demonstrantes ad conuentum

## I V R I D I C A.

etum Nobilium quondam admittebantur. Nullus tamen dubito, quin vi. supremæ potestatis Imperator, cuius locum quilibet Princeps in suo territorio quoad quid habet, ignobili sanguine natum nobilitare possit, ut ad hastiludia aditum habeat, quod enim Principi placet, legis habet vigorem, utpote cum inferiori superiori legem ponere non possit, cui ille obedire debet, maximè cum ratio aliqualis adsit, ut scilicet nouis hominibus maior Zelus ad virtutem crebat, si videant se ex præiuâ virtute Principis gratiae cum antiquioribus coniungi, ut nobilitas conseruetur. Matth. Steph. de Iurisdict. l. 2 p. 1. membro 2. n. 77. & seqq. atque ita in Hispanâ nobilitatos fuisse pro Hydalgis refert. Azued. ad Constit. Hisp. lib. 6. tit. 2. in rubr. n. 63.

## I N I V S C I V I L E

### QVÆSTIO XXIII.



Xurgit an Comes Palatinus legitimandi potestatem expressè habens, proprios spuri os, siue filios suos naturales legitimare queat? Et non posse sequentes rationes euincunt. I. Quia nullum Principis priuilegium sic accipi debet, ut ansam delinquendi praebeat. l. illud conuenire s. cum l. seq. ff. de pactis dotalib. II. quia soli Principi proprios filios legitimandi potestas singulariter conceditur. text. in cap. per venerabilem 13. §. insuper cum Rex. qui filij sint legitimi. consequenter inferioribus eiusmodi potestas denegata censemur. III. quæcumque causæ cognitionem desiderant, non possunt expediri per Magistratum in propriâ velliberorum causâ. l. qui Iurisdictioni 10. ff. de Iurisdict. atqui actus legitimatis requirit causæ cognitionem. erg. l. si paterfam. 15. c. penult. ff. deadopt. ideo in propriâ liberorum causâ expediri nequit. Gail. lib. 2. obs. 142. n. 9. Couar. Epit. de sponsalib. parte 2. c. 8. §. 7. & seq.

XXIV. Cum adoptionis æmula & imitatrix passim hodie in Germaniâ recepta Vnio prolium censemur. Gail. 2. obs. 125. queritur an unio nisi actus sublîstat, si fille, in cuius favore solemnitates sunt introductæ, his non seruatis, nihilominus pacto unionis stare velit? hoc casu robur obtinere

## DISPUTATIO.

tinere & verius & æquius existimauerim. *I. non eo minus 14. Cod. de Procurat. I. neque tutoris 7. Cod. de contrah. vel committ. stipul.* quod enim favore alicuius introductum non in eius detrimentum est retorquendum. *I. nulla 25. ff. de legibus I. quod fauore 6. C. eod.*

XXV. Dubitatur num Tutores testamento dati à Iudice tamē confirmati, datiuī sint, vel testamentarij? Communi adhærendo opinioni pro datiuīs habendos esse puto. *I. testamentō 3. in fine ff. de testam. tut.* etenim Testamentarij Tutores illi sunt accipiendi, qui Iure dati sunt, quales primū confirmati à Iudice non censentur. *I. pater 4. Vers. cùm à patre datus ff. eod. I. 1. § 1. Vers. si autem ff. de confirmand: tutor.*

XXVI. An mater per testamentū patris, tutelā sui filij priuari possit, sialium tutorem ipse non constituat, non inutiliter quæritur? negantium sententiæ adstipulator, partim quia mater tutelam beneficio legis obtinet partim quia mater omnibus tutoribus (solis testamentarijs eam præcedentibus) præfertur. *Nouell. 118. c. 5. & auth. matri & auia. C. quando mulier tutel. off. fungi poscit.* adeoque ijs deficientibus mater admittenda erit, partim quia hīc fauor liberorum militat, ob innatam matris affectionem. Arg. *I. propter 14. ibi, si pietas & c. C. de his, qui accusare non possunt.* Nou. 94. c. 1.

XXVII. Difficilior quæstio hīc subicijenda est: vtrūm pater tutelam liberorum, uti mater transiens ad secunda vota, deponere cogatur, si secundæ se iungat vxori? opinio negatiua mihi magis arridet; cùm in Iure cautum non inueniatur, patrem ob secundas nuptias tutelā filiorum priuari, ideoque quod in matre statutum est, ad patrem extendi non debet, siquidem pœnales casus sunt stricti Iuris, nec interpretationem extensiuam recipiunt. *I. penult: ff. de pœnis. cap. odia 15. de R. I. in 6. erubescimus.* enim sine lege loqui Nou. 2. c. 3. accedit, quod lex plus confidat patri, quam matri Harp. *in pr. tit. inst. qui test. tut. dari possunt.*

XXVIII. An Princeps Elector filio suo impuberi Electorali hæredi (non obstante Aureâ Bullâ Caroli IV. tit. 7. de success: Princip: Elector. post med: & Imp. Sigismundi de Anno 1413. & 1434. §. & talis success. c. 7.) tutores testamento constituere possit, elegantissimè controuertitur? Et non posse affirmo; quia in præfatis Bullis indistinctè cautum est, quod proximus agnatus & senior in illo gradu, primogeniti defuncti Electoris filij tutor & administrator esse debeat, idcirco cùm defuncti Electoris ordinationē excludant, indistinctè exaudiendæ sunt. *I. 1. §. generaliter ff. de legat. præ-*

## I V R I D I C A.

gat. pr. stand. Mathias Stephan: intr. d. Iurisdict. lib: 2. part. 1 c. 5. n. 68.

& seq: Besold. tract. de succ. Reg. lib. 3 diff. rt. 4. n. 1. & seq. genera-  
liter quippe vnius inclusio siue vocatio, est alterius exclusio & remotio l.

22. C. de administ. tut: l. cum Prator in princ. ff. de Iud.

XXIX. Num tutor debitoribus Pupilli tempus solutionis faciendæ  
prorogare possit? negandum puto: quia hæc prorogatio sapit naturam  
cuiusdam donationis, quam tutor sine iustâ causâ exercere non potest.  
l. contra Iuris §. 1. ff. de Pactis l. Tutor. l. Lucius §. tutoribus de administr. tut.  
cum utilia facere, & inutilia prætermittere secundum formam iuramen-  
ti, tempore administrationis suscepitæ præstigi, teneatur. l. vlt. C. decu-  
rat. furios. Fach. controu. Iuris lib. 2. c. 56. 5.

XXX. Quæritur an tutor pecuniam pupilli ad emptionē boni immo-  
bilis à testatore destinatam alio impendere sine decreto Iudicis possit?  
Nego per l. 3. §. quid ergo 6. ff. de contrar. & utili act. Ratio partim est favor  
pupilli, cum alias destinatio pecuniae ad bonum immobile pro mobili re  
habeatur. l. cum in fundo §. si fundus communis ff. de Iure dotium, partim,  
quia testatoris voluntas, quæ pro lege seruanda est, non potest immutari.  
§. disponat. auth. de nupt. hinc euenit, quod neque actiones ad res immo-  
biles competentes sine Decreto Iudicis, propter eandem rationem aliena-  
ri possint. Gail. 2. obs. II. n. 10.

XXXI. Dubitabis: an tutor ad præstandā pupillo authoritatem cogi  
queat? Respondeo negatiuè: nam velexpedit interuenire eius approba-  
tionem: Et satis est pupillo contra negantem authoritatem ratione ia-  
cturæ competere Iudicium tutelæ. l. si tutor 17. ff. de authorit. tutor. vel  
non expedit; & æquum non esset ad eam cogi, casu quo tamen tutor sol-  
uendo non existeret, ita, ut actio tutelæ contra eum competitura tunc  
non prodesset, tutorem cogi posse existimo, quia tunc ratio legis cessat,  
& præstat intacta Iura seruare, quæ post vulneratam causam remedium  
quærere. text in l. fin. C. in quibus caus. restit. in integrum.

XXXII. Quænam actiones competant contra tutorē? Respondeo  
inter alias, actionem tutelæ, & de rationib: distrahendis competere, il-  
lam quidem, ut rationem reddat suæ administrationis, & si quid penes  
eum reliquum est, aut pupillo damnum dedit, refundat. l. tutorem quon-  
dam 9. C. arbitr. tutel. Hanc verò, quando tutor in gerendâ tutelâ & bo-  
nis pupilli quippiam subtraxit vel abstulit. Hinc actio de rationibus di-  
strahendis poenalis est, & in duplum datur, ita tamen, ut in duplo res ab-

C

lata.

## D I S P U T A T I O

Lata continetur, verumque rei pretium duplicitur. *I. trestutores §. sed si ipsi ff. de administ. tutorum. l. 2. §. fin ff. de tut. & ration. distrah.*

XXXIII. Hinc non ineptè mouetur haec quæstio: an actio tutelæ cū actione de ration. distrah. cumulari possit, siue an vnâ institutâ altera consumatur? Distinguendum censeo: aut enim primò instituit actionem de rationibus distrahendis ad rem furto ablatam, tunc quia hæc actio est mixta, rei persecutoria partim, & partim pœnalis, non poterit amplius actione tutelæ experiri, siquidē, cùm hæc actio etiā sit rei persecutoria, perteret tandem rem bis, quod bona fides non patitur. *l. 57. ff. de R. l. si verò prius iudicium tutelæ instituit, & tunc alterâ adhuc ad pœnam pupillo agere licebit.* Expediti enim iuris est, quòd, quotiescumque actio mixta, cum actione rei persecutoriâ concurrit, & prius rei persecutoriâ actum fuerit, mixta non in totum consumatur, sed solùm eatenus, quatenus rei persecutionem continet, quatenus autem est pœnalis, subsistat, & adhuc institui possit, *l. 7. §. i. ff. commodati.*

XXXIV. Pulchra hîc proponitur quæstio; an is, qui bona maioratûs aut gentilitia, vulgo Stammengüeter/ possidet, verè sit eorum Dominus? obstat videtur, quòd ea pro libitu suo alienare non possit. *per l. fin. §. sed quia 2: & seq. auth. res que C. comm. de legat.* sed rectius meo iudicio sentiunt illi, qui talium bonorum possessorem verum esse dominum aiunt; Siquidem nullum ius, nullaué pars integri dominij est ab eo ablata, & translata in alium, sed solùm talia bona sunt alligata quoad actum alienandi, qui Dominium minimè tollit, cùm aliquando leges iustâ de causâ impediunt possint ius aliquod, ne in actum prodeat; & si prodierit, ne factum teneat. *Couar. var. resolut. lib. 1. c. 15. n. 14. postmed. Lud. Molin. tract. 2. disp. 3. n. 4. Pinell. ad l. 1. C. de bonis maternis n. 5.*

XXXV. Num malæ fidei possessori vtiles impensas deducere licet, DD. non conuenient? Distinctionis foedere rem conciliandam puto; concedendo ei ius deducendi vtiles impensas, si is conueniatur iudicio yniuersali, quale est petitio hereditatis. *l. planè 38. ff. de hered. pet. Treutl. disp. 18. thes. 16. q. 40. Donell. lib. 4. Comment. de Iure Ciuilico. 33. non verò iudicio singulare, puta Rei vendicatione. arg. l. 5. C. de rei vindic. & l. Julianus 37. ff. eod. tit. Harp: §. ex diuerso 30. n. 31. tit. Instit: de rer: diuis: Ratio huius est; quòd scienti alienum solum esse, possit obijci culpa, quòd impensas temerè fecerit in re alienâ. l. adeò. 7. §. ex diuerso 12. in fine ff. de A. R. D. vnde exceptio doli locum habere non potest, quia dolus cum dolo*

## I V R I D I C A.

dolo compensatur; Ratio autem differentiae inter priorem & posteriore-  
rem casum in Iure actoris posita est; nam in rei vindicatione actor malæ  
fidei possessori de impensis litiganti rectè obijciet, eum non Iure de im-  
pensis quæstionem mouere, ideo quod donare eas voluerit Domino fun-  
di, & quia Domino, ergo ipsi actori, qui est Dominus: at in petitione  
hæreditatis actor hæres continuo non est Dominus rei hæreditariæ, cùm  
fieri possit, ut nec defunctus fuerit Dominus, quo casu etiam plus Iuris,  
quàm ipse habuit, alteri relinquere non potuit. *I. nemo plus ff. de R. I.*  
*Harp: lo: cit: n. 39.*

**XXXVI.** Vtrum cessione vſusfructū extraneo factā vſusfructus a-  
mittatur, vel ad proprietatem recurrat variant DD? Et per cessionem  
vſumfructum consolidari placet. *per text: express. in l. 66. ff. de Iure do-*  
*tium. Nec me mouet §. 3. Inst. de Vſufructu, vbi cedendo vſumfructum ni-*  
*bil agi dicitur. licet enim cedens quoad suam intentionem nihil agat, vt*  
*scilicet extraneus eum acquirat; agit tamen aliquid quoad rationem Iu-*  
*ris, eò quòd per hanc à se abdicauerit vſumfructum. Gomez tom. 2. Var:*  
*resol: c. 15: deseruit: n. 17. Donell: lib. 10. de Iure Ciuitati. c. 19. D. Rathtrac.*  
*de Vſu cap. 3. assert: 7. n. 3.*

**XXXVII.** An actionibus personalibus præscribi à debitore possit,  
discipatur? negativa sententia in foro conscientiæ tutior, in curiâ quo-  
que sæculari verior est, eò quòd Ratio (*omne, quod non est ex fide, pecca-*  
*tum est.*) æquè ad præscriptionē actionis personalis quàm realis possit ac-  
commodari, licet enim debitor pecuniā debitā sponte creditori, præsertim  
scienti offerre non teneatur; scit tamen, se eam, etiam sine interpellatio-  
ne, omni Iure debere, nec potest sine peccati reatu, alterius animi esse,  
per quem proinde creditor videtur in quasi possessione crediti manere,  
nullâ præscriptione repellendus. quamdiu debitor eum animum soluendi  
retinet, & quodanmodo creditoris possessionem agnoscens, consci-  
entiam rei alienæ habet, non quòd nummi, quos reddere debet, in credi-  
toris Dominio existant, sed quòd in foro conscientiæ sint debiti. *Balbus*  
*in 2. part. tertie partis prin. q. 13. Couar. cap. possessor. malæ fidei part. 2.*  
*tom. 1. §. 11. n. 4.*

**XXXVIII.** Magna inter DD. pugna est; an debitor per 30. anno-  
rum præscriptionem à Iure luendi pignoris submoueatur? probabilior  
est traditio existimantium, Iuri luendi pignoris cursu 30. annorum præ-  
scribi non posse; quia, cùm actio pignoratitia debitor non competit ni-

## DISPUTATIO

Si prius debitam pecuniam exsoluerit, vel realiter obtulerit. arg: l. si rem. §. omnis ff. de pignorat: actione impossibile est, ut actio nondum nata præscriptione tollatur. l. i. §. vel ibi ex quo: C. de annal. Except, siquidem non entis nullæ sunt qualitates, l. locatio 4. ff. locati: Gail. 2. obs: 18. n. 5. & seqq. Berlich: parte 2. conclus. practicab: conclus. 3. n. 6. & seqq. quare creditor non sibi, sed debitori pignus possidens (est enim in contesso, neminem sibi causam possessionis mutare posse. l. pignori 13. ff. de usucap:) non modò rei vindicatione, sed & pignoratitiā actione ex communi interpretum opinione in praxi passim receptā, perpetuò conueniri potest. Gail. dic: loc: Myns cent: 1. obs: 16.

XXXIX. Non incongruè quæstio mouetur, vtrūm hæredi mediato seu hæredis hæredi, si initium præscriptionis à suā personā capere velit, noceat malafides antecessoris? probabilissimè dicitur quod non: ratio est, quia Iura duplēctionem fictionem in vna & eādem re & ex eodem capite improbant. Bart. in l. si is qui pro emptore ff. de Usucap. L ff: c. 6. dub. 3. n. 43. primus autem hæres fictione tantum Iuris, quatenus defuncti personam repræsentat, censetur malā fide possidere: quare si in secundo hære de fingatur ex eo itidem mala fides, concurrerent duæ fictiones circa vnam & eandem rem, scilicet ex capite repræsentationis sui authoris, adeoque incipiendo à sua persona præscribere poterit. Leß. d. lo. Couarr. §. 9. ad cap. possessor. part. 2. §. 9. n. 9. de R. I. in 5. Vasq. lib. 2. Controuers. c. 73. num. 19.

XL. Quæstio occurrit, an donatio, si liberi post donationē suscepti, viuo donatore decesserint, semel reuocata reconualescat? negatiuā teneo opinionem, tūm quia natis liberis, res donatæ propriæ donatoris effectæ sunt, quæ ipsi inuitio adimi nequeunt. l. id quod nostrum 11. ff. de R. I. tum, quia actio, quæ donatario competebat, semel extincta reuocari non potest. arg. l. qui res suas 98. §. aream ff. desolutionibus quod facit, quod talis donatio videatur hahere quamdam tacitam conditionem, si liberos donans non suscepere, quæ conditio natis liberis statim deficit, licet ipsi postea moriantur. l. filius fam: §. cum quis ff. de legat, 1. l. heredibus ff. ad Trebell. proindeque rei donatæ Dominium à vitâ vel morte liberorum pendere non potest. Fachin. lib. 3. Controu. Iuris cap. 90.

XLI. Quæri & illud hoc loco potest; an res, ex pecunia dotali emptæ, fiant dotales, ita vt soluto matrimonio, utilis rei vindicatio pro ijs uxori competit? aienti sententiæ assentior, si nimirum reliqua mariti bona

## I V R I D I C A.

bona ad restituendam dotem non sufficiant. Hunnius in Treutl. Vol. 2.  
disp. 7. quest. 47: per l. res quæ 54. ff. de Iure dotium. l. in rebus 30. C. eod. tit.  
l. 55. ff. de donat. inter vir. & uxorem.

XLII. An testamentum, secundum consuetudinem loci factum, vires suas ad res testatoris extra illud territorium sitas porrigit, nec ne? affirmatiæ doctrinæ subscribo, quia quoad solemnitates locus, in quo actus celebratur, attenditur. arg. l. si fundus. ff. de euict. & l. semper in stipulatione ff. de R. l. Myns: cent: 5. obs. 19. n. 4. Gail. 2. obs. 123. n. 1. qui in Camerâ Imperiali ita iudicatum fuisse testantur.

XLII. Vtrum Clerici de fructibus beneficiorum, & præbendarum testari possint? affirmo: quia si Clerici de talibus bonis testari non possent, impediret, vel quod eorum non essent Domini, vel quia aliqua lege prohiberentur. Contrarium prioris ostendo ex eo, quod cum clericis tæcularis paupertatem non voverint, nec Ecclesia, quæ redditus annuos ob spirituale beneficium ipsis largitur, reddat eos dominij incapaces, ex defectu dominij obstare non videtur, quin testari possint. Decernit enim Ecclesia beneficiatos ob absentiam, vel intermissum officium Canonicum fructus beneficij suos non facere, id est eorum dominium non acquirere. Concil: Lateran: sess: 9. §. statuimus & Trid. sess: 23. & sess: 24. c. 12. de reforu: vnde manifestum est, si præsentes sint, & officium præstant, dominium reddituum sibi comparari, nam alioquin Constitutioni Pœnali, seu priuationi ob absentiam, negligentia &c. nullus locus esset. Laym: in Theol. mor. tract. 2. c. 3. de Ecclesiast: benefic: cap. peruenit de fidei usorib: c. vn. de Cler. non resident. Ratio esse potest, quia alias ministri Ecclesiastici deterioris essent conditionis, quam alijs Reipubl: ministri, qui stipendiorum Domini efficiuntur. Posterior inde patet, quia nullus ex Iure Canonico locus adferri potest, in quo contineatur prohibitio Clerici testantis de fructibus beneficiorum & præbendarum. Fachin. lib. 5. controu. c. 89. accedit, quod generali consuetudine, quæ optima legum interpres est, l. si de interpretatione ff. de legibus. clerici liberè de redditibus testari possint. teste Couar: in cap. cum in officijs de testam: n. 23. non solùm ad usum pios verum etiam prophanos. Fachin: lo. cit: licet inspecto Iure Canonico redditus superflui ad usum pium impendi deberent. Laym. d. lo, interim quia consuetudo hactenus à S. Pontifice nunquam improbata, contrarium induxit, illa tanquam tacite saltem approbata valebit. Couar. d. lo. n. 24.

XLIV. Non inutilis est questionis; si testator alicuius filium fam:

## DISPUTATIO

Hæredem instituat, ei que alium substituat, filio hæreditatem repudiante<sup>s</sup> num pater ipsius, num verò substitutus sit admittendus? in punto Iuri Patri substitutum præferri verius est; siquidem vulgaris substitutio locū habet, si hæres institutus aut nolit, aut non possit esse hæres. l. i. §. 1. & tot. tit: ff. de vulg: & pupill: subst: sed filius repudians hæreditatē, non vult esse hæres, consequenter substituto locus erit, tanto magis, quod substitutus veniat ex prouisione hominis, pater verò duntaxat ex prouisione legis quæ cessat, si quis vocatus sit ex hominis prouisione. arg. l. ex facto §. item quero; ff. de vulg. & pupill. subst. auth. hoc amplius C. de fideicommiss. Fach. lib. 4. controu. Iuris c. 63. licet aliud statuendum existimem in Monacho hærede instituto, eo etenim repudiante Monasterium potius erit. Dauth. ad l. i. n. 128. & seqq. ff. de vulg. & pupillari subst.

XLV. In dubium vocatur: utrum iure nouissimo sublatā emancipationis, & patriæ potestatis differentiā, mater vel avus maternus liberis suis impuberibus pupillariter substituere possint? Et ne hodie quidem posse omnes DD. dicunt. teste Bart. ad l. 2. n. 7. ff. de vulg. & pupillari subst. Etenim in successione tantum ab intestato, differentiam illam extinetam esse, concors interpretum est opinio. gloss. in auth: ex causa. Cod: de lib. præterit. Myns: n. 4. Institut. de pupillari substitutione. quod si verò per statutum vel consuetudinem liberi potestati matris subiicerentur, concederem ei facultatem pupillariter substituendi, quippe correctā legis ratione, ipsa lex correcta censetur. arg. l. quod dictum & ibi Bart. & Interpp: ff. de pactis.

XLVI. Grauioris controversia est, an tacita pupillaris, quæ in expressâ vulgari continetur, matrem à successione filij demortui excludat, quando eidem cohæres data non est? negatiuam tanquam veriorem & æquiorem amplector. arg. l. precibus Cod. de impub: & alijs subst: pro qua eleganter disputat Menoch: lib. 4. præsumpt. 39. Ratio est, cum enim tacita pupillaris substitutio ex testatoris voluntate tantum præsumatur. l. iam hoc Iure 4. §. vlt. ff. de vulg. & pupill: subst: præsumptio hæc nihil penitus operari potest, eo quod æquitas expressè ei aduersetur. arg. l. postliminium 19. & §. 4. cum seq: ff. de captiu: & postliminio reuersis. quæ non suadet matrem à successione pupilli per tacitam pupillarem excludi. l. nam et si parentibus 15. in princ: ff. de inoff: testam. ab hac tamen ipsâ sententiâ receditur, si extent coniecturæ quibus colligitur testatum excludere casu hoc matrem voluisse. Menoch: lo: cit: n. 40. quod Iudic.

## I V R I D I C A.

Judicis prudentiae attentis circumstantijs omnibus relinquendum puto,  
cum Molin: tr. 2. disp. 184. n. 21. vt conicat, quae fuerit voluntas testatoris.

XLVII. Porro dubitatur: num posteriori testamento obstat iuramentum, quod testator in confectione prioris testamenti iurauit, se nolle id reuocare? negatiuè respondeo. arg. l. tunc autem ff. de iniusto ruperto, irrito. §. posteriore Instit: quib: mod. testam: infirm. quia licet iuramentum personam iurantis sub reatu peccati obliget, efficere tamen non potest, quo minus testator rerum suarum sit dominus, adeoque liberam eorum dispositionem sicutem validè habet, consequens hinc tantò magis est, quandoque pactum iuratum non fertur supra ipsum testandi actum, sed super promissionem, illum non reuocandi, in qua re cùm acceptanti adeò non tribuatur Ius in re, sed tantum Ius ad rem, utique liberam retinet, tanquam Domini bonorum suorum administrationē. cap. sicut ex litteris 22. de sponsal. interim tamen hæredes defuncti animam, ratione obligationis ex pacto ita iuramento confirmato ortæ, liberare tenentur. Mol: tr. 2. disp. 151. n. 24. & 25.

XLVIII. Vtrum locus querelæ in officiis testamenti sit, quando filius ex illegitimâ causâ ex hæredatus in ex hæredationem consensit? magis amica ac æqua videtur mihi opinio affirmativa, quia in filij potestate non est, efficere, ut leges testamentariæ in parentis testamento locum non habeant, cùm testamenti factio Iuris publici sit. l. testamenti 3. ff. qui testam. fac: pos: adeoque priuatorum pactionibus immutari nequeat. l. Nemo potest 55. ff. de legatis Treutl. vol. 1. disp. 13. thesi 9.

XLIX. An filius ex hæredatus à parente ex iusta & legitimâ causâ, censendus sit in numero liberorum, ad minuendam aliorum filiorum legitimam portionem? negatiuè respondeo, ex eâ ratione, quia cùm filius ex hæredatus nihil ex hæreditate patris habiturus sit, cæteri filij, qui exclusi non sunt, in hæreditate succendent. arg. l. si post mortem 10. §. liberi 4. ff. de bon' poss: cont: tab: text: in §. si vero filios auth: de nuptijs. Ex quo colligitur, idem quoad augendam legitimam procedere, casu quo ex quinque liberis unus sit ex hæredatus, tunc enim, quia quatuor duntaxat ad hæreditatem vocantur, legitima portio erit Triens, non autem semis, nullâ ratione habitâ filij ex hæredati, qui ab hæreditate excluditur. Fach. lib. 4. c. 31.

L. Dubitatur num legitima filiorum, statuto vel consuetudine tolli, aut diminui possit? Statutum tale, quod legitimam in totum tollit, utpote

## DISPUTATIO

Vt pote contra omne Ius, tam naturale, quam Canonicum & Ciuiile nullum esse, tenendum est. ex ratione: quod legitima iure naturali, liberis constituta sit. arg. l. cum ratio. ff. de bonis damnatorum. & §. primum itaque in auth: de heredi & Falcidia etenim legitima datur filijs ratione alimentorum, quae iure naturali eis debentur. l. l. §. Ius naturale ff. de Iust: & Iure. & l. Iura sanguinis ff. de R. I. proinde statuto tolli non poterit, quippe iura naturalia sunt immutabilia. text. in d. l. Iura sanguinis & in §. fin: Inst: de I. N. G. & C. & necare videtur, qui alimenta denegat. l. necare ff. de lib: agnosc: Cæterum quia legitimæ quantitas iure Ciuiili praescripta est, in §. 1. auth: de Triente & semisse idcirco iustâ causâ subsistente saltem minui posse existimo, si modò ad filiorum sustentationem sufficiat. Gail. 2: obs. 122. n. 2. Fachin: lib. 4. c. 32.

LI. Suboritur controuersia: an Ius deliberandi ab herede ignorantie, se institutum fuisse, in eiusdem parentes aut alios legitimos successores transmittatur, an verò heredes ab intestato admittendi sint? communissime DD. opinioni, & in praxi receptæ adhærendo: hoc in casu ob heredis ignorantiam Ius deliberandi non transmitti existimo, per l. cum antiquioribus C: de Iure deliberandi: tum quia deliberatio est animi quædam meditatio, si ergo primus heres ex vita discessit cum ignorantia, quod ea hereditas ad se pertineret, eam non transmittit ad ipsius heredes, quoniam ignorans deliberare non potest. Gomezto. 1. Var: resolut: c. 9. n. 51. Molin. tr: 2. disp. 180. n. 22. tum etiam, quod deliberatio requirat libertatem arbitrij, quæ in ignorantem non cadit. l. manifestum. §. fin autem nescius Cod: de furtis. accedit, quod heres, dum scit hereditatem sibi delatam esse, & nec adit, nec repudiat, existimetur deliberare de hereditate adeundâ, ita ut Ius deliberandi ad quoscunque heredes, etiam extraneos, si intra annum è vita, neque hereditate aditâ, neque repudiata discedat, transmittat, quo usque annus compleatur, qui in priori herede à scientiæ tempore currere cœpit, quæ ratio in ignorantе prorsus deficit. Molin: lo: cit: Wesenbec. consil: 89. n. 3. Observandum tamen, si aliquis propter Rem publicam, aut ex aliâ iustâ causâ absens ignorauit, hereditatem ad se pertinere, elapsò tempore à Iure ad deliberandum præfixo, concedi tam heredi, quam heredibus ipsius restitutionem in integrum, ita habetur in l. Pomponius in princ: ff. de adquir: hereditate. Gomez d. lo: n. 56. Mol. d. lo: n. 23.

LII. Vtrum filia renuncians iuramento paternæ hereditati, testamen-

## JURIDICA.

mentum patris quærelare queat? affirmat. Faber de error Pragm.: decad: 13 error. i. ex ratione, quod renunciation non tollat Ius patriæ potestatis & suavitatem, quia ipso Iure filia hæres censetur. Contraria tanien sententia verior est, cùm enim iurata futuræ successionis renunciatio valeat. cap. quamvis de Pactis in 6. simul necessariò si qui videtur, quod hæreditas talis filiae delata non censeatur, sed Iuris Civilis subtilitatem, qua omnes liberi à parentibus instituendi sunt, facile sublatam, ubi enim nulla successio, ibi & minus hæreditatis institutio est necessaria, nam Iura veniendi contra testamentum, communiter regulantur à Iuribus succedendi ab intestato, qui ergo exclusus est à successione ab intestato, erit etiam exclusus à successione contra testamentum, ita Communis apud Clarum. §. testamentum q. 42. n. 65.

LIII. Alia controværsia singularis vertitur in materia Renunciatio-  
nis: an filij, quorū mater renuncians iuramento paternæ hæreditati  
ante patrem è viuis decepsit, parenti mortuo ab intestato succedere pos-  
sint cum alijs fratribus defunctæ matris, eos gradu præcedentibus? quod  
affirmandum credo: Ratio decisionis consistit in eo; quod matris renun-  
ciatio ijs obesse non possit, cùm ex liture proprio beneficio legis ad succe-  
sionem vocentur auth. cessante. Cod. de leg. b. r. d. illud autem, quod be-  
neficio ac prouisione legis alicui debetur, hoc sine illius facto auferri  
non potest. per text: in L. omnimodo C. de inoff: t. stat. quod facit, quod cùm  
matris renunciatio aliter facta non sit, nisi sub illa conditione tacitâ, si  
mihi hæreditas delata fuerit, l. qui sup rstitis 94. ff. de acq: hæred: pro-  
pterea, quia per rerum naturam fieri non potest, ut quis excludatur à suc-  
cessione, quæ necdum ei delata est, cùm non enī nullæ sint qualitates,  
& priuatio præsupponat habitum arg. l. si ita scriptum 45. §. si sub condi-  
tione ff. de legat: 2. defertur autem hæreditas primū per mortem patris,  
quia viventis non datur hæreditas, ac proinde cùm matri non fuerit dela-  
ta, habebitur, ac si non facta fuisset renunciatio: quia conditione defici-  
ente, deficit ipsius dispositionis effectus. arg. l. 36. ff. de reb. cred. l. 8. in  
princ. ff. de periculo & commodo rei vendita. ita Fachin: lib. 3. c. 23. Harp.  
in princ: tit: Instit. de hæred: quæ ab intestato defer: Couar. in cap. quamvis  
parte 3. §. 2. n. 4.

LIV. Illud non æquè expeditum est, si filia monasterium ingressura  
paternis bonis iure iurando renunciet, an talis renunciatio valeat, mona-  
sterioque præjudicet? affirmo arg. cap. quamvis de pactis in 6. & cap. cum

D

contin-

## DISPUTATIO

*cum contingat. ext: de Iure iur: Ratio est, quia cum monasterium succedere non possit, nisi ex persona Monachi vel Monialis. & illi iam sint exclusi per renuntiationem iurata, sequitur, nullo iure monasterium eam hæreditatem vindicare posse Conar. p. 3. §. 2. n. 3. Fachin. controu. Iuris lib. 3. cap. 23. Hunc tamen Controversiae videtur hodie finem impoluisse Concil: Trident: sess 25. c. 16. vbi statutum: quod talis renuntiatio iurata valere non debeat, nisi fiat cum Licentia Episcopi, aut eius Vicarij intra duos menses proximos ante professionem Mol. tract. 2. disput. 149. vers. quod ad Ecclesiam. Ratio huius Decreti fuit, ob multa incommoda, quæ ex eo oriebantur, quod Nonitij interim, dum probationis tempus durabat, retardarentur ab egressu, si status ille eis non placeret, non vidento scilicet remedia unde viuerent, saepius proinde ex desperatione Professionem emittebant, alias eam non facturi. Mol: tr. 2. de I. & I. disp. 149.*

**LV.** Quæritur an pactum successionis affirmatiuum substat? negatiuè respondeo: eò quod sicuti certi modi acquirendæ obligationis & Dominij iure nostro proditi sunt, ita quoque consequendæ hæreditatis certi modi iure sunt introducti, scilicet lex & testamentum. *I. testamenti 3. ff. qui testament. fac. possunt. I. verbis legis 120.* proinde vis & iniuria legi inferri videtur, si quis alio modo ad hæreditatem perueniat, quam qui legibus & iure publico præscriptus est. *I. Ius Publicum 38. ff. de Pactis.* iniuriam autem non videtur interre, si duo de hæreditate tertij pacificantur, & tertij illius consensu interuenerit, quia tantum periculum mortis subesse non censemur si ipse consentiat. *arg. I. fin. ibi: tum enim sublatâ acerbissimâ spe Cod. de pactis,* cum pericula præuisa minus noceant, quam casu & inopinatè aduenientia, neque etiam tollit libertatem testandi huiusmodi pactum, quia non obstante Pacto tertius ille facultatem de bonis suis disponedi habet, cum reputetur pro ultimâ voluntate. *iuxt. text. in d. I. fin: Cod. de Pactis.* Deinde subsistit etiam tale pactum affirmatiuum de succedendo si iuramento inter alios priuatos fuit corroboratum, quia omne iuramentum, quod potest seruari sine peccato seruandum est. *cap. cum contingat. ext: de Iure iur:* hoc autem iuramentum seruari posse, ostendunt partim exempla de iure cōmuni, partim de consuetudine Germaniæ seruata, & quidem sine peccato, ideo, quia iuramentum hoc non tendit in præiudicium tertij sed tantum iurantis, qui non peccat, si id seruet. quod facit quod pactum hocce, siue promissio ista non sit contra bonos mores naturales, ita ut peccatum

f. 282a



## I V R I D I C A.

sit pacta huiusmodi inire. Couarruicias in cap. quamvis §. 3. n. 28. 2. ruf  
brice: part. de testam. n. 15. quem allegat Harp. in princ. tit. Instit. de bare-  
ditatib: quæ ab intestato deferuntur n. 34.

LVI. An legitimatus in successione gaudeat l ure primogenituræ?  
Distinguendum puto; si enim Principis Rescripto legitimatus fuerit,  
non existimo eum succedere, quia alias Princeps ius primo legitimè ge-  
nito statim ab initio quæsitum auferret; quod Princeps sine iustâ causâ  
facere non potest. l. 2. §. meritò & §. si quis à Principe 16. ff. ne quid in loco  
publico Gail. 2 obf. 56. Quod si verò à patre per subiequens matrimonio-  
num sit legitimatus, l ure & priuilegijs primogenituræ gaudebit, idque ob  
sequentes rationes. I. quia tantam vim & efficaciam habet matrimonij,  
ut retrotrahatur ad princip' um Natiuitatis, & perinde habeatur, ac si le-  
gitimi ab initio statim Natinitatis suæ legitimè fuissent nati cap. tanta  
ext: qui filij sint legitimi. II. Isdicitur primogenitus, qui nullum habet  
ante se cap. Joseph. de V. S. atqui legitimatus per subsequens matrimonio-  
num nullum habet ante se, non naturâ, quod clarum est, non etiam l ure,  
quonicm vi legitimatiois eo momento, quo genitusest, legitimus cen-  
setur. text: in Nouell: quib. mod. naturales efficiantur c. reliqu. Hunn. in  
Treutl. vol. 2. disp. 15. q. 17.

LV I. Vtrum debitor pro pecuniâ mutuò accepta de usuris soluen-  
dis licite promittat? affirmo; si tali promissioni iuramentum accedit;  
vicius ad solutionem usurarum cogi potest promittens. per text: in cap.  
debitores de Iureiurando quippe non est contra bonos mores præstitum  
iuramentum respectu promittentis cap. non est obligatorium 58. de R. I. in  
6. & auth. quod eis permittitur Cod. de Nuptijs licet non negem mutuata-  
rium solutas usuras tanquam quas absque omni causâ & l ure mutuans  
acepit, repetere posse l. 1. §. 2. ff. de Condict: ob turp. vel iniustum causam.

LVIII. Controuertunt DD. an prodigus ipso l ure, num verò post  
interdictam à Magistratu bonorum administrationem, sit talis reputan-  
dus: in puncto Iuris priori sententiæ, quoad praxin verò posteriori sub-  
scribo, illius ratio est, quia prodigus, si in præiudicium suum contrahit,  
furioso comparatur. l. 6. ff. de V.O. l. 1. ff. de curat furios. sed furioso ab-  
que vlo interdicto Magistratū ipso l ure, bonorum suorum administra-  
tio est interdicta, ita quidem, ut nullum negotium rectè gerere possit.  
arg. l. in negotijs 5. ff. de R. L. ergo idem de prodigo dicendum erit, cùm,  
quod in uno æquiparatorum obtinet, idem obtineat in altero. vnde Fa-

## DISPUTATIO

chin: *in suis controu: lib. 2. c. 63.* dicit, legem adimere prodigo bonorum suorum administrationem, Magistratum vero duntaxat declarare, legemque exequi. Praxeos ratio est: cum prodigalitas, propter quam a Iudice fit interdictio, in facto constat, cum iniuriâ ipsius prodigi non est presumenda sed per factum ipsius Iudicis, cum praeuiâ causâ cognitione, inferenda. *I. obseruare ff. de Curat: furios. Andr. Gail. lib. 2. obs. 51. num. 2.* quæ sententia & inde magis conualidatur, quod testamentum, quod facit, antequam pronunciatus fuit prodigus, *depraxi valeat*, Sichard. *in suo Cod. ad rubr: qui testam. fac. possunt tit. 22. lib. 6. n. 15.*

LIX. Vtrum, si debitor, qui rem alienam obligauit, postea eius dominium nanciscatur, velut si hæres a Domino rei scribatur, ex post facto pignus conualefacat? Conualecere censio. *I. rem alienam 41. in princ. ff. de pignor: act. idque non stricto Iure, ex æquo tamen & bono. I. cum res 5. C. si res aliena pignori data sit*; etenim debitor rei alienæ verè oppignoratae ex post facto Dominus factus, contra factum proprium venire non debet. *I. post mortem 25. ff. de adoption.* siquidem dolum allegat, sive actionem vel exceptionem creditori opponat arg. *I. si inter 21. §. 1. ff. de pignor. & hypo. I. si a Titio 72. ff. de rei vindicatione* quod procedere arbitror, siue creditor ignorans siue sciens rem alienam in pignus acceperit, ita tamen ut priori casu creditori actio hypothecaria utilis competit. *I. rem alienam 41. ff. de pignorat. act. & d. I. 5. Cod: si alienares pugnori data sit.* posteriori vero ei retentio pignoris duntaxat indulgeatur. idque arg. *I. 1. ff. de pignor & hypoth.*

LX. Porro resolutur hæc quæstio, an res ex pecunia aliena comparaata ad Dominum nummorum, an vero ad ipsum ementem spectet? posteriori sententiæ subscribo arg. *I. qui aliena 8. C. si quis alteri vel sibi contractus enim iste non re, sed consensu perficitur; ut proinde emens non suo nomine, etiamsi premium de alieno soluerit, fiat Dominus rei emptæ adeò, ut si non appareat, quo nomine quis emerit, prælumatur quis nihilominus suo nomine emisse* Mascard. *de probat vol. 1. conclus. 53. n 5. & seqq.* Menoch. *de presumpt lib. 8. presumpt. 143. n. 33. & seqq.* interim tamen limite nostram sententiam in militè. *I. si ut proponis C. de Rei vindicat.* Ecclesiæ nam & Prælati aut Oeconomi Ecclesiarum ex pecunia Ecclesiæ ementes non sibi; sed Ecclesiæ querunt Dominia gloss. in d. *I. si ut proponis. & Can: sacerdotes 1. Can. Presbyter 3. q. 4. caus. 12. si modò rem*

## I V R I D I C A.

rem potius malint, quam pecuniam recuperare. Marito, l. si vxor. 55. ff. de donat. inter vir. & vxorem. l. ex pecuniâ 12. C. de Iure dotum & tutori vel curatore. l. si Curator 3. C. arbitri. tutel. l. si tutor ff. quando ex facto tutoris vel Curatoris.

LXI. Quotidiana quæstio hîc discutienda venit; vtrum venditor, si facultatem rei tradendæ habet, præcisè cogi posset ad tradendam eam, an verò præstanto interesse liberetur? Prius contra multorum sententiam teneo, per text. in l. ex empto. ff. de act. empti. §. 2. vers. ad exemplum & §. perficiuntur Instit. de donat. l. qui restituere ff. de rei vind. nihil enim magis bonæ fidei, quæ summa est in hoc contractu, congruit, quam Convenitum inter partes præstare. l. cùm venderem 21. ff. locat. d. l. ex empto §. 1. quod posteriori casu non contingeret, cùm potius venditori occasio malignandi daretur; compellendo emptorem ad interesse probationem, quæ difficilis est, utpote in facto consistens l. quatenus 24. ff. de R. l. & emptori aliud pro alio inuito solueretur l. 2. §. 1. ff. dereb. credit. Couar. var. resol. lib. 2. c. 19. Myns. cent. 4. obs. 65. Gyphan. lib. 3. disput. 18. accedit quod si venditor præstanto interesse liberaretur ab obligatione, sequeretur, eum rem eandem Millies sine crimine falsi reuendere posse. quod est contrarex. express. in l. qui duobus ff. ad l. Cornel. de falsis.

LXII. Oritur quæstio, an Canon remitti beat Emphiteutæ, si propter bellū, aliumne incursum, fundum Emphiteuticum ingredi & excollere non potuit? affirmantium omnium verissima mihi & æquissima videtur text. est apertus in l. i. C. de Iur. Emptiteu. quia quando Emphiteuta fundum non possidet, ac possidere nequit, pensionem soluere non tenetur, etenim perinde est, ac si fundus non extaret, aut perijset respectu temporis illius quo possideri non potuit. arg. l. cùm vnus 12. §. vlt. ff. de reb. author. Ind. pos. l. possideri 3. §. labeo 17. ff. de acquir. vel amit. pos. & extinto fundo Emphiteutico pensio Emphiteutæ remittenda est. d. l. i. & ita sentiunt Fachin. controu. cap. 90. Hunn. ad Treutler. vol. 1 disp. 27. de locat. & conduct. 9. 2. 5. Iulius Clarus lib. 4. sentent. §. Emphiteusis q. 8. nisi in se Emphiteuta totum periculum quorumcunque casuum fortuitorum suscepisset. d. l. i. Fachin. loc. cit.

•S(0)S•

D 3

IN IVS





# IN IVS FEVDALE

## LXIII.



Trum res Allodialis in feudum recognita fiat feudalis? Respondeo quod sic, Menoch: lib. 3. pr. sumpt. 31. num. 44. Rosenthal de feudis c. 2. concl. 24. n. 1. Ratio est, quia, cum quilibet rei suae moderator sit & arbiter, rem propriam facere potest beneficiariam hoc est: Domino dare in feudum. Mag. scinc. aigene frene Güeter zu lehen machen/ vnd einem Herrn zu lehen aufzutragen. Gail. 2. obs. 158. n. 1. si modò recognoscatur, ut feudalia, alias sine recognitione talia non sient. Rosenthal. c. 6. conclus. 68. n. 26.

LXIV. Quæstio ergo se se offert. an fœminæ, etiam ipsius recognoscens propriæ filiæ in illo feudo ex re Allodiali recognoscens facta, nō succedant? affirmatim respondeo. Ratio est, quia ex ista recognitione bona allodialia propriam feudi naturam assumunt, at qui fœminæ in feudo proprio non succedunt. text. in c. 1. §. hoc autem de his qui feudum dare possunt. §. filio de succ. ff. feudi in usibus feudorum. nisi specialiter actum sit, ut feudum fœmineum sit. Rosenthal. d. c. 6. conclus. 48. n. 28. Ceterum si contingeret, aliquem bona sua ita feudalia facere, ut filiabus legitima non supersit, possunt filiæ usque ad legitimæ supplementum istas infudationes rescindi petere, Rosenthal. lo. citat. n. 29. Ratio est, quia parentes pro fraudanda liberorum legitimâ nihil agere, neque in officiosas donationes facere possunt. tot. tit. Cod. de inoff. donat. quæ infudationes bonorum allodialium aliud non videtur, quam in officiosæ quædam donationes. arg. L. censualis C. de donat. Clarus §. de donat. q. 14. n. 5. Gail. 2. obs. 116. n. 5.

LXV. An autem talis, qui rem suam propriam in feudum dedit, si postea causam aliquam caducitatis committat, eam non minus atque alijs Vasalli amittat? supposito DD. fundamento, quod illa res sic cognita naturam veri & proprij feudi inducat, idem de hoc, quod de alijs feudis dicendum erit. unicus enim talis casus. (teste Rudingero in method. iur. feud. lib. 1. c. 25. n. 44.) reperitur, quo Vasalus ob commissam feloniam non amittit feudum, vt si propterea concessum est, quia Dominum concedentem à morte, ab hostibus, vel latronibus liberauit, nam tum nullâ culpâ

## IURIDICA.

culpâ vel ingratitudine amitti potest, Schneidvvin in Epit. feudorum part. 8. cap. 1. n. 11. Ratio est; quia feudum potius habet loco mercedis, quam beneficij, ob insignem collatam operam Ruding. lo. cit. Et licet hæc opinio in punto iuris forsan sit verior, negativa tamen videtur a quior. Ratio quia beneficium potius præstigit, quam accepit, cum enim Dominus in eum liberalis non fuit, non facile debet haberi ingratus: incivile enim est, illiberaliter agere cum eo, qui vere liberalis fuit, nisi magnam caducitatis causam committat, vel iuramentum fidelitatis obstat, & eius violationem hanc pœnam mereri quis dicat. Rosenthal. concl. 68. n. 25.

LXVI. Ultimò illud eleganter queritur. num capitulum immediatum sede vacante hoc est. Epicopo aut Prælato mortuo gaudeat Austregis sicut gauderet Episcopus si viueret? Negativa opinionem veriorem existimo, Andr: Gail. lib. 1. obs. 30. n. 13. per rationem quod tale priuilegium Austregarum tantum statibus Imperij competit, capitulum autem sede vacante status Imperij non est, propterea quod feudum, ratione cuius Episcopus Princeps Imperij dicitur, non ad Capitulum, sed Episcopum, quam talem, spectat. Nec repræsentat capitulum ipsum Episcopum defunctum tanquam statum, quia non potest eius vice fungi, eò quod ad fidelitatem & servitiam obligatum non sit ex proprio iuramento, quippe quod non præstat, nec etiam Episcopi defuncti, quia iuramenti Episcopi obligatio in capitulum non translat, cum nec in haeredem feudalem transeat, sed quilibet Vasallus de novo iurare cogitur; consequenter capitulum nec est status Imperij nec statum repræsentat. Atque hæc Miscellaneæ Theoretico practicæ Theses, Magno Numinis magnæque Numinis parenti MARIÆ recens natæ primariò dedicatae sunt.

## APPROBATIO THEOLOGICA.

Miscellanea istæ Disputatio, quæ ex utroque Iure, haud sanè leues proponit, quæstiones indidem clare breuiter, ac doctè exponit, non sine legentium delectabili utilitate, atque utili delectatione. Præterea neque officit lumini fidei diuinæ, neque legibus Christianæ honestatis aduersarur uspiam. Dignissima proin, quæ petitam ex more & aequalitate lucem publicam, ut à Patrono sidere Serenissimo luculenta, etiam à Theosophia, quæ illustris aliarum disciplinarum Pharos est, accipiat.

Imprimatur

Paulus Grandinger S. I. Ordinarius SS. Theol. Professor  
loco spectabilis P. Decani Facultatis Theologicæ.



## APPROBATIO IURIDICA.

**P**erlegi præsentem Disputationem Miscellanæam & in eâ pingues fer-  
tilis Ingenij primitias deprehendi; quæstiones inquam ex utroque  
Iure bellè depromptas; earumdemque resolutiones suis rationum  
momentis pereruditè stabilitas. Imprimatur itaque, ut in Nobili Domi-  
no defendantे, strenuo virtutum fætatore, omnes videant, quantum ip-  
se in addiscendâ Iurisprudentia profecerit, & alij, si eodem conatu in illa  
verlarentur, proficere possent.

Ioannes M. chael Sonner V. I. D. Codicis Profef.  
Ord: & nunc Collegij Iuridici Decanus.


XXIIII  
**ORNATISSIMO ET DOCTISSIMO**  
**DNO LEOPOLDO SCHLUDER PACHER,**  
I. V. C. Thesum harum propugnatori,

**N**on curant alij decertent Marte vel arte,  
Arte duella tibi Marte iacente placent;  
Vulnera non metuas miles, cui gloria cordi,  
Nam sine vulneribus rarus ab hoste redit.  
Perge, age, te clypcô bene tutum namque videbis,  
Sed quali? (dices) num ducis? Archiducis.  
Siste, resiste, sub hoc etenim ductore sereno  
Obscuro nunquam de grege Miles eris.

Cosmas Ferronij I. V. S. In sincerae  
amicitiæ symbolum accinuit.

F I N I S.





**ULB Halle**  
006 570 380

3



kon





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-565521-p0040-6

DFG

# Farbkarte #13

B.I.G.

Black	White	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Cyan	Blue	Blue
19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8
19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8
19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8
19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8



JVRIDICA

ens.

25. 1  
1654

agis practicas ex di-  
s defumptas.

I. F.

TE, CON-

BATIIONE AM-  
LTORVM ORDI-  
tâ Archiducali Vni-  
ti. Briscoiâ.

DIO,

LARISSI-  
SIMI VIRI DO-  
GII KIEFFER D. I.  
PROFESSORIS

E T

UDERPACHER  
lensis I. V. C.

in M. DC. LIV.

RISGOIAE.

ACOBI BÖCKLERI.

EZ